


1. De fondis Ecclesiasticis. R. J. H. Böhmer. R. W. Giebel.
2. De jure et statu hominum propriorum a servis Germaniae non Romanis derivando, et de usu hujus doctrinae. R. J. H. Böhmer. R. F. Schröter.
3. De jure retentiois ex diversa etiam causa competente. R. J. F. Ludovici. f. C. H. Hacke.
4. de mandato ad heredes transante ad l. 57. f. dekord.  
R. A. a. Coccej. R. C. L. Förster.
5. De computatione graduum cognationis. A. Coccej.  
R. d. H. Lindo.
6. De jure Sopliniorum. A. Coccej. R. Dithmar a Neder.
7. De jure et facto. R. H. Coccej. R. J. W. Wallig.
8. De rebus morae facultatis. R. H. Coccej. R. J. C. Fabrodt.
9. De servitutibz naturalibz. R. H. Coccej. R. J. D. Höner.
10. De successione nepotum. R. Coccej. R. A. H. Mandelsloh.
11. De paribus sententiis iudicium et arbitrorum R. C. H. Hom.  
R. P. P. de Reibitz.
12. de remissione tacita pignoris vel hypothecae  
per acceptiōēm chirographi novi aut fide-  
jusoris. R. C. Thomafiz. R. C. Schröder.
13. De abuso mandatorum sine clausula. R. H. Coccej.  
R. R. C. H. Homburg.
14. De fuga. R. H. Coccej. R. J. D. Vöper.
15. De finibz b. fidei in praescriptionibz de jure canonico.
16. De conjugebona gratia divertente. f. T. J. Reinhardt  
R. C. J. Rothmaler.

17. De cibitoris P. H. Socceij. R. P. de Clapicht.  
18. De reductione ad arbitrium boni viri. P. A.  
Socceij. R. C. F. Sammann.  
19. De herede fidejusione occ. l. vlt. Q. de Evert.  
R. J. B. Tiesen. R. J. C. Hildebrand.  
20. De renunciationibz et reservationibz filiaru  
illarum. R. H. Socceij. R. J. C. Bartfeld.  
21. De solario Domini. J. G. Hartung. R. J. C. Plauig.  
22. De dote omnium bonorum occ. l. q. C. de jure  
dotum. M. J. A. Neuber.  
23. De nominatore ad parochiam. P. L. P. W.  
L. J. A. Froem.  
24. De abuso insignium Principis. S. F. Willenberg. R.  
J. F. Holcher.  
25. De Pacti reservativi effectu. A. Hildebrand. P. C. M.  
Lindk.  
26. De Incendio. R. J. P. Slovoigt. R. L. A. Hamberger.  
27. De jure Ministeriorum exigendi a Princeps demissio-  
nem. P. A. de Champlausen. R. J. G. Boenigh.  
28. De libertate patrum Regii. R. H. Socceij. R. A. Ramfuss.  
29. De regimine usurpatris Regis effecto. R. J. Socceij.  
R. J. W. de Schmettau.  
30. De autoritate publica ad pignorisca hypothecae  
publicae constitutionem necessaria. G. Schweder  
R. B. Drang.  
31. De jure collectandi non sive R. Boding. R. J. G. Becker.  
32. De solario ex superficie praestando. R. P. Slovoigt.

33. De negligentia ministerii tunc oiperem non obligant.  
R. H. C. Wildvogel. R. H. C. Vierthaler.
34. Quae sit genuina resolutionis causa controversiae  
vicia causas ex hereditationis liberorum.  
R. H. de Coceij R. P. C. Hugo.
35. De Praerogativa. R. I. A. Meyer. R. J. W. Weiss.
36. De dispositione testamentaria infoundis R. I.  
R. Streit R. C. P. Amling.
37. De his quae in fraudem legis fiunt. R. I. R. Streit.  
R. I. T. Schwartz.
38. De Tutoriis datione R. M. Rhodig R. J. G. Baro.
39. De exceptione moratoria. R. Busch.
40. De iure hereticos. R. H. Coceij. R. Caroly d' orville.
41. De Silentio. R. I. C. Winter. R. H. I. Dynander. dis. 1 et 2.
42. De vero debitorc sententia absoluto. R. H. Coceij.  
R. H. D. Trutonis.
43. Charactore statum Imperii R. H. Coceij. R. F.
44. De Successione fisci. I. D. Spielmann.





*ZO.*  
*Divini Numinis Affulgente Gratia!*

DISPUTATIO INAUGURALIS

DE

**RENUNCIATIONIBUS  
ET RESERVATIONIBUS  
FILIARUM ILLUSTRIUM,**

EX DECRET. ET AUTORIT. MAGNIF. JCTORUM ORDINIS  
Quam  
IN ACADEMIA MARCHICA,

PRAE SIDE

**DN. HENRICO COCCEJO,**

AUGUSTI AC POTENTISSIMI BORUSSIÆ REGIS

CONSILIARIO INTIMO,

JCTO FAMIGERATISSIMO,

FACULT. JURIDICÆ ORDINAR. & ANTECESS. PRIMARIO,

ad hunc Actum Pro-Decano,

Mecenate ac Patrono suo aeternaturo,

A. MDCC XIV. Mens. Aprili,

PRO

*Summis in Utroque Jure Honoribus ac Privilegiis*

*Publico examini submisit*

**JOACHIMUS FRIDERICUS  
BARTHOLDI.**

*Francofurti ad Viadrum, Literis JOH. CHRISTOPH. SCHWARTZII.*



25



**DISPUTATIONIS**  
**DE RENUNCIATIONIBUS & RESERVATIONIBUS**  
**FILIARUM ILLUSTRIUM.**


S U M M A R I A.

- |  |  |
|--|--|
| §. 1. <b>C</b> rebrà DD. de Renunciationibus & Reservationibus Filiarum Illustrium tractatione lites non sopia.                                      | §. 21. In tantà contentione res reducitur ad regulam seu fontem.   |
| §. 2. Quam illa bodeque ferbeant.  | §. 22. Duo ejus capitula sunt: Renunciatio & Reservationis, Prior ut subsistat?  |
| §. 3. Inde occasio Scripti.  | §. 23. An in Illustribus etiam sine Juramento?   |
| §. 4. Notanda maxime distinctio Bonorum.   | §. 24. Ambiguum esse, an compelli ad Renunciandum Filiis possint, si nolint? & in ea ipsa Nobilitatis Decreta sibi non constare. |
| §. 5. Quae sunt I. Ecclia.   | §. 25. Coniectudo Renunciandi liquet: non, an cogi possint si nolint?  |
| §. 6. Quae ad Emphyteusos similitudinem concepta sunt.   | §. 26. Renunciatio de Feudis, Bonis Salicis, & Fidei commissis Familia tantum est abundantis, cauteles.                          |
| §. 7. II. Bona, qua instar Fidei commissorum Familiae.   | §. 27. Eos valde errare, qui hac Bona à rebus privatis non separant.   |
| §. 8. Ut predia Salica, Gulgo Asiatica.  | §. 28. Illa soli Familie esse agglutinata.   |
| §. 9. Sub Regibus ad distinctionem Feudorum Allodia dicta.   | §. 29. Eoque sensu Stamm-Güter dicta.  |
| §. 10. & 11. Probatur Bona Salica plurimum gentium, quin & subjectorum fuisse & vetustiora Fendis.   | §. 30. De iis regula constituitur, ex quā conlectaria:   |
| §. 12. Iis familia effe Fidei commissa Familiae.   | §. 31. I. Renunciationem quoad hac bona necessitatis esse,   |
| §. 13. In his bonis nec renuntiatione opus effe, nec fidam quicquam operari nisi ad maiorem cautelam, quod illustratur exemplo causae Aurelianensis. | §. 32. II. Extinctis masculis Feminas succedere non ex clausula Reservationis; sed, esse Fidei commissi finito, jure Intestati.  |
| §. 14. Not. I. His bonis Reservationem, auff einen ledigen Auffall, inutiliter addi.   | §. 33. III. Unde tum Filia Sororibus antefertur, que in merè renuntiatione concurrunt.   |
| §. 15. II. Renuntiationes regulariter hereditatem in perpetuum abdicari.   | §. 34. IV. An Filia vel Cognata jure exclusive post masculos admittantur? Hodie usibus locorum id variare.                       |
| §. 16. III. Donec Hæredes ex Lege vel testamento sunt, nondum exflare causam eines ledigen Auffalls.   | §. 35. Apud publicis Bonis, quibus annexa est Jurisdictionis & Magistratus, Jure G. Familias in perpetuum excludi.               |
| §. 17. Inde IV. nec excludi testamentum ultimi masculi.  | §. 36. Veterum Reginas tutrices, non hæredes fuisse.   |
| §. 18. Has rationes conturbatas esse Interpretationibus & studiis.   | §. 37. Causa cur ultro non nunquam admis/.   |
| §. 19. Quam id ipsis Familias lucuo sum sit.   | I. Ob metua & studia.  |
| §. 20. Filiarum studio plures clausulas addi solvere.  | §. 38. II. Ob Familie merita, voluntate eligentium; exemplo Palatinatus & Saxonie.   |

- §. 39. Item in Feudis & Bonis Salicis frequen-  
 tam.  
 §. 40. Nonnunquam vero profure usurpatum  
 §. 41. 42, 43, 44. Singula exemplo Comita-  
 tus Hollandia & Hannonia confirmantur.  
 §. 45. In Bonis igitur qua cum Imperio & po-  
 testate sunt, plane nullam esse Feminarum  
 successionem, nisi Statuto vel usu id receptum  
 probetur.  
 §. 46. A Bonis reliquis Salicis, quorum na-  
 turâ capaces sunt, vetusto Jure exclusae,  
 vel teneuntur renunciare, vel, si nolint, ha-  
 buntur pro Renunciantibus.  
 §. 47. Bonis merè privatis non tenentur re-  
 nunciare, ni consuetudo doceatur.  
 §. 48. Et de his saltem intelligendam Questio-  
 nem propositam  
 §. 49. Afferuntur præjudicia, Filias renunci-  
 are teneri, sed non satis probant.  
 §. 50. Transitus ad evolutionem clausulae, auf  
 einen ledigen Unfall.  
 §. 51. Hac in sola Renunciatione Bonorum  
 merè privatorum cum effectu additur.  
 §. 52. In reliquorum, nequicquam.  
 §. 53. Quod probatur ex Naturâ Cessionis;  
 §. 54. Et in eventum Reservationis.  
 §. 55. Regula certa & perpetua constituitur  
 quoad hanc clausulam.  
 §. 56. Ex hac inferuntur Consuetaria: I. Nu-  
 lam esse Feminarum Reservationem quoad  
 Regalia, Fideicommissa Familiae, & Bona  
 Salica &c. Sed si iis sint Masculini, saltem  
 postpositi, esse ordinem Intestatis.  
 §. 57. II. In bonis vere hereditariis recipiunt  
 jus pristinum; adeoque parentibus Intestatis  
 mortuis, totam hereditatem; cum testa-  
 mento, Supplementum Legitima.  
 §. 58. III. Et sic verissimo sensu Ius plenis-  
 sum recuperant.  
 §. 59. 60, 61. Alia Consuetaria.  
 §. 62. Paclla Reservationia non esse resolutiva;  
 §. 63. Sed magis suspensiva.  
 §. 64. Inde distinctione paclorum ex nunc  
 & ex tunc hoc non quadrat.
- §. 65. Hac vere pacta esse de non petendo ad  
 tempus.  
 §. 66. Quomodo Filie fructus petere possunt?  
 §. 67. Respondetur Dubio.  
 §. 68. Ut as alienum solvatur.  
 §. 69. An id officiat Filialibus?  
 §. 70. Si Feminarum quedam renuntiarunt  
 an & reliqua eveniente casu temeantur?  
 §. 71. Offenditur omnes pari Jure videri.  
 §. 72. Sed Q. An magis omnes renunciasse  
 ligantur? Aff.  
 §. 73. Successio hic est ex No. 118. in stirpes  
 vel in capita.  
 §. 74. An testamento ultimi masculi Regres-  
 sus filiarum excludi possit? Otiosam esse  
 eam Questionem de Bonis Salicis. &c.  
 §. 75. Et de Fidei commissis. Rejicitur ta-  
 citi Fidei commissi fictio.  
 §. 76. De bonis ergo mere hereditariis id tan-  
 tum queri posse.  
 §. 77. Qua si tempore renunciationis jam  
 delata, excludi Filias non posse: de quo ca-  
 sa Responsa agunt.  
 §. 78. Si nondum delata, & masculi pre-  
 mortui, Feminas alius succedere: non ex  
 Reservatione, sed ex No. 118.  
 §. 79. Tantum ergo queri de casu quo non-  
 dum delata hereditati renunciatum cum  
 effectu. Quod pender ex tenore pacti.  
 §. 80. Scil. si aliquis Fideicommissarius pacto  
 insit.  
 §. 81. Illum non inferri ex merâ reservatione;  
 hinc libere disponit ultimus masculus.  
 §. 82. Quam ineptis Brocardis fluctuant bulgo.  
 §. 83. Qua afferuntur.  
 §. 84. Et refelluntur.  
 §. 85. Alia absurdâ plus iusto Feminarum  
 successione extendentium:  
 §. 86. Etiam ad res, que plane non pertinent.  
 §. 87. Qua ex dictis corrunt. Ceterorum  
 remissio, & conclusio.

(669) (669)





§. I.



Liada post Homerum conscribere  
videbimur, qui post tot volumi-  
na, in quæ diffusa jam est DE RE-  
NUNCIATIONIBUS ET RESERVA-  
TIONIBUS FILIARUM ILLUSTRI-  
UM materia, idem saxum revol-  
vimus, telamque dudum per-  
textam denuò ordimur. Verùm  
hac ipsa tam immensa rerum  
ac quæstionum congeries adeò has salebras non com-  
planavit, ut rationum confusione magis implicuisse  
& perplexitatem geminasse, magisq; intulisse scrupu-  
los quam expugnasse videatur.

§. 2.

Nam & aliàs id in Jure usuvenit & usuvenire  
necessè est, quoties non ex fontibus suis Jus duci-  
tur; uti in opificiis, quoties sine regulâ opus per-  
agitnr. Hinc etenim hodieq; fervent in Illustribus  
Familiis de hoc arguento lites quamplurimæ, qua-  
les sàpe numero etiam ad Facultatem hanc Via-  
drinam missas fuisse, relatum accepi à Dn. Præside:  
ex quibus & illud apparuit, quantis studiis ac ani-  
mis, cùm Partes ipfæ earumque Patroni, tûm sum-

2 DISPUTATIO INAUGURALIS. DE RENUNC.

mi & Clarissimi Jurisconsulti inter se in hujus materiae areâ confixerint & etiamnum configant. Quod tanto promptiorem mihi ausam præbuit, ad Illustria hujus rei pondera paulo curatius dinumeranda.

§. 3.

Liceat itaque pace doctissimorum Virorum, qui eam rem magnâ & diligentia & curâ aggressi sunt, non quidem universam hanc materiam, quod Disputationis limites longe excederet, sed quædam faltem, quæ moveri & erui e re videbuntur, evolvenda feligere.

§. 4.

Receptum igitur usu Imperii dicitur, in Nobilium ac Illustrium Familiis, ut Filiæ renuncient hereditati Parentum & Fratrum in favorem masculæ propriae, reservatō sibi Jure auff einen ledigen Anfall. *Ant. Fab. in Cod. I. 2.t.3.d. 12. § 24. Besold. Thes. Præd. von Verzicht.* in quâ renunciatione ac reservatione plura continentur & miscentur, quæ diversissimæ sunt indolis.

§. 5.

Primum enim occurrunt in Illustrium Familiis Bona quasi publica, quæ de publico concessa sunt familiæ, ob officia Reipublicæ, nimirum propter militiam vel armatam vel togatam. Quorum proinde duo genera fuere; Alterum feuda, quæ regulariter quidem militiae armatae causâ data sunt, non tamen solâ : nam ob officia togæ, in primis aulica, pariter dari solita sunt: ob fidelitatem scilicet pro bello ac pace exhibendam Principi & Reipublicæ conf. *Dn. Prof. Hypomn. Jur. Feud. Tit. I. §. 2.*

§. 6.



## §. 6.

Et hæc quidem prædia feudalia ad prædiorum vestigialium seu Emphyteuticorum similitudinem ferè concepta sunt, nimirum, ut Jus in re, (quod nunc dominium utile vocatur,) atq; inde in rem aëlio competit; ex formulâ Rubr. ff. si ager vestigal. id est, Emphyt. PETATUR. Conf. Perill. Lib. Baro. de Bartholdi. de Necessit. edend. titul. posseff. cap 4. num. 62. proprietate directâ, quam dominium directum dicimus, Principi ac Reipublicâ salvâ. 2. F. 23. in f. verb. ut proprietas &c. licet fatendum sit, perexiguum proprietatis istius reservatae effectum apparere, cùm omissis ferè vis dominii in accipientem transierit; quod satis arguit vox illa: PETATVR: in d. Rubr. quæ actionem realem significat; l. 25. princ. l. 28. ff. de Obl. & Act. & hic quidem ratione ipsius rei seu prædii arg. verb. si ager petatur. Ab his itaque prædiis excludi regulariter fœminas vel ex ipsâ definitione Feudi patet: d. text. 2. F. 23. verb. si nominatim. cuius rei rationes plane elegantes exponit Perill. Dn. Lib. Baro de Bartholdi dict. tract. e. 4. num. 49. Neque adeò in his renunciatione opus est.

## §. 7.

Alterum verò talium Bonorum genus est, quæ & ipsa concessa sunt Viris Illustribus ac Nobilibus bene meritis, ad tuendam Familiae dignitatem, quam conservari publicè interest. l. 1. §. 13. ff. de Ventr. Inspic. l. 9. C. d. Question. arg. l. 35. D. de Minor. Hæc igitur prædia & Bona suâ naturâ fuere Feideicomissa Familiae, ad ejus dignitatem splendoremque perennem concessa atque instituta, quæ nec ipsa extra Familiam alienari, nec magis quam Feuda ad



4 DISPUTATIO INAUGURALIS DE RENUNC.

fœminas transire poterant ; quippe quæ nec Familiam nomenque propagabant, nec munerum publicorum, quorum intuitu ac pro meritis, hujusmodi quoq; terræ initio concessæ fuerant, erant participes; sed uti militiae armatae conditio eas à feudis, ita totatae ratio ab his alodiis, etiam sine renunciatione, excludit.

§. 8.

Atque hæc sunt prædia illa aviatica vulgo, seu gnetilitia, *Stamm Gühter* / & antiquissimo tempore Francis prædia SALICA dicta, quia Illustrium ac Principum Virorum fuere, qui apud Francos Salæ seu curiæ publicæ Proceres vel membra erant : vid. *Dn. Präf. Jur. Publ. c. 3. §. 90. 91.* cùm Francorum Republica ante Reges Aristocratica fuerit, Optimatum Comitiis, Curiis seu Salis gubernata. Id *Orat. de Leg. Sal. Edit. Heidelb. p. 10.* Unde apud eos Salica fere dicebantur, quæ publica; d. §. 91. atque adeò Prædia quoque Illustrium seu Procerum SALICA, siquidem ea tenuerunt publico Beneficio.

§. 9.

Deinde verò, cùm sub Regibus Feuda, quæ tum beneficia regia dicta sunt, increbrescerent, atque sub lege fidelitatis & reservato dominio directo darentur, sup. §. 3. 4. reliquæ terræ Illustrium alodia appellata sunt, quasi sine lege fidelitatis data; *Stamm Gühter.* Unde duo fuere genera bonorum Illustrium : Feuda & Allodia. Quod ut scitè, ita verissimè sic expressit Beat. Rhenanus; *Nobiles ornabantur beneficis Regiis,* (seu Feudis) & allodiis. Ubi & hæc allodia, perinde ac Feuda, à Familiâ fuisse inseparabilia ait, adeò ut inde nomen allodii, quasi anledt / ductum existimet.

*Vid.*



ET RESERVAT. FOEMINAR. ILLUSTRIUM.

5

*Vid. Beat. Rbenan. Rer. Germ. L. 2. p. m. 169. conf. Hypomen. Feudal. tit. 1. §. 4. quæ etiam apprimè probat Joach. Vadian. ap. Goldast. Alam. Ant. Tom. II. Part. 1. in princ. fol. 1.*

§. 10.

Quam in rem notabile est peryetustum illud Instrumentum, quod exhibet Joh. Tilius de *Rebus Gallic. Rubr. de Filiab. Franc.* his verbis: *Hac appellatione (terram Salicæ) Veteres usos diu fuisse constat ex Instrumento Agolisensis cuiusdam Archi-Diaconi, facto 1231. ubi hæc habentur: Cui dedit suum allaudinm vel hereditatem Salicam ibi nominatam, in agro Santonum sitam. qui populus est Galliæ Aremoricæ, Strab. L. 4. c. 13. §. 14. & Plinio liber dicitur. Hist. nat. L. 4. c. 19. Neque vero hujusmodi mentio tantum fit in Codice de Legibus Salicis; tit. 62. §. fin. sed & in aliorum popnlorum & Provinciarū Legibus, uti in Legibus Ripuariorum, tit. 56. §. ult. & Angliorum: tit. 6. princ. in quibus omnibus notandum, quod semper Lex illa de terra Salicæ, quæ in d.t. 36. *Aviatice* hereditas dicitur, veniat sub *Rubr. de ALLODIBUS*. Quod & observavit Joh. Tilius. d. loc. ubi adit: *Idem Legis (Salicæ) caput aliis Legibus continetur, quæ Ripuarie dictæ sunt, ubi terra Salica exponitur. conf. d. Orat. de Leg. Salic. p. 14.**

§. 11.

Quin & statim subjungit Joh. Tilius d. loc. *Legem Salicam pro subditis tantum conscriptam esse. Quod & colligitur Jure Feudali ex 2. F. 29. ubi Lex Salica dicitur, quæ de eorundem Illustrium nuptiis & Filiorum successione agit. Etenim prædia Salica vetustiora sunt Feudis; quin jam ante Reges fuere: quod & ex præfatione Salicæ Legis colligi potest, cui hi-*

A 3

storiæ



6 DISPUTATIO INAUGURALIS DE RENUNC.

storiæ fides tribuenda donec aliud ostensum fuerit.  
Sed præter hæc, Jure etiam communi jam hujusmodi bona generi ac familiæ innexa ac nomini tributa fuisse constat, scil. fideicommisa Familia, Stamm-Göhter/ seu Familiaria. l. 77. §. 11. & 12. D. de Legat. 2. l. 38. §. 7. D. de Legat. 3. Nov. 159. Praef. l. 3. D. de Interd. & Reg. leg. At feuda hoc jure plane incognita fuere.

§. 12.

Non tantum autem ab suâ origine bona hæc Familia cohærent, quod non potest nisi per modum Fideicommisi fieri, sed & ipsi Patres Familias nobiles & Illustres suis dispositionibus & pæctis prospexere familiis suis, ne prædia, maximè avita, inde divellerentur, præcipue ne (plendor, dignitas, ac potentia earum quæ sine hujusmodi opibus consistere nequeunt, oblitterarentur, de quibus nunc non est plura agendi locus. conf. Diff. de Ord. Succed. fam. Illustr. in Territ. Sect. 2. §. 8. & Sect. 3. §. 12.

§. 13.

OMNIA itaque hæc Bona frustra haætenuis in Renunciationem Fœminarum deducuntur, cum ipso Jure illæ inde exclusæ sint. Enimvero, quæ filii solent renunciations ratione horum bonorum, vim habent majoris & abundantis cautelæ. Neque adeo quod ex parte Galliæ in causa Aurelianensi tentatum novimus, inferri ex istâ renunciatione potest; FILIAS CAPACES ESSE, CUM ALIAS NON OPUS ESSET EARUM RENUNCIATIONE. Ea enim renunciatio non ex necessitate accedit, sed ex studio quodam arbitrioque majoris securitatis; uti ex eo, quod stipulatio validis quoq; contractibus adjectitur, non sequitur, ex contractibus obligationem validam non esse.

§. 14.



ET RESERVAT. FOEMINAR. ILLUSTRIUM.

7

§. 14.

Etsi vero hæ renunciationes ita majoris cautelæ ergo sustineri possint, non tamen ullo sensu reservationes, auff den ledigen Aufall / prædictis bonis valide addi poterunt, quia morte possessoris Jus agnatis masculis proximis ex providentia & Jure Majorum quæsitum est, quod pæcis vel dispositionibus privatum auferri iis nequit : l. 27. §. 4. D. de Pact. &c. eaq; est horum bonorum conditio, ut de iis, quippe fideicommissis familia, non magis quam de feudis, disponi, atque à familiâ abalienari ea queant ; nam & in iis æquè ut in feudis, quæ & ipsa sunt fideicomissa familia, non succeditur beneficio novissimè defuncti, sed beneficio legis & generis. d. l. 3. D. de Interd. & releg. Atque hoc primùm prænotandum fuit. vid. Diff. de Ord. succed. Femin. Illuſtr. in Territ. Sect. 2.

§. 15.

Alterum est, quod renunciatione tota hereditas in perpetuum abdicetur, et si fiat favore stirpis masculæ, idque expresse addatur; adeo ut ad femel renunciatiæ non detur Regressus : l. 4. C. de Repud. hered. l. 60. f. D. de Acquir. hered. Etsi enim repudiari hereditas tantum delata poscit, l. 94. D. eod. non autem renunciari futuræ, l. f. D. de Suis & Legit. l. 3. C. de Collat. tamen, cum ex Jure Canonico renunciatio, factum jurata, recepta foro sit, c. 2. de Pact. in 6. non minus eā, quam repudiatione hereditas in perpetuum amittitur. Nimisque abutuntur eā ratione & regulâ, quod deficiente prolo masculâ impedimentum filiarum sublatum sit; & limitata causa limitatum producat effectum : de quâ vid. Klock. Tom. 3. conf. 106. n. 25. Fallit enim illa in causâ impulsivâ, quâ cessante non ces-



8 DISPUTATIO INAUGURALIS DE RENUNC.

cessat dispositio generalis, cui illa occasionem dedit: uti ob impudentiam Carfaniæ, fœminæ postulare generaliter prohibitæ sunt, et si modestæ. *I. i. S. 5. D. de Postul.* Nec qui adventu hostium excitatus, urbem muris ac vallo circumdedit, pulso hoste opera statim demolitur. Neque adeò id à Jure communi est, quod filia, quæ olim renunciat favore masculorum, his deficientibus vetera sua Jura repetere posse dicitur, quæ dudum in genere ejuravit. *arg. l. 4. C. de Paet. l. 57.* *S. i. D. de Procur. l. ii. C. de Reb. cred.*

*S. 16.*

*Tertium* est, quòd, licet ulterius renunciatio limitetur, additâ clausulâ: biß zum ledigen Anfall / nondum inde inferri posit, filias has, quæ semel renunciarunt, post masculos etiam tum successuras, cùm hi proximiiores heredes, quin proprias filias reliquerint, aut testamento alios heredes fecerint: Nondū enim existit eventus eines ledigen Anfalls / ubi existunt defuncti heredes proximiiores ex lege, vel extestamento; nec dici potest, vacare bona defuncti, qui justum heredem reliquit. Tum ergo demum ex norma dispositionis existeret casus reservatus, cùm masculorum ultimus decedit ab intestato, nullo aliò herede proximiori relicto; quia tum demum fœminis ejus vacat hereditas: operaturque tum clausula, biß zum ledigen Anfall / ne in posterum filiæ cogantur amplius do te solâ esse contentæ, sed in universâ defuncti cognati bona, quorum fœminæ jure capaces sunt, succedant, atque in eam hereditatem unâ cum fratribus quoque concurrant.

*S. 17.*



## §. 17.

Unde *Quarto*, traditum est disertissimo Jure certaque ratione, ultimum masculum & fideicommissi familiæ possessorem libere de rebus disponere ac testari posse, extincto jam fideicommisso: l. 77. §. 27. f. l. 78. §. pen. D. de Leg. 2. cùm is non amplius gravatus, nec aliis restituere jussus sit. Illud enim vanissimum omnium commentum est, ultimum possessorem masculum tacito fidei-commisso rogatum intelligi, ut post mortem suam restituat hæreditatem fœminis, quæ renunciaverant. Quod nec Jure, nec ratione probatur, & pugnat directo cum iis quæ demonstrata jam sunt.

## §. 18.

Verum ratio horum conturbata videtur cùm hominum interpretationibus, tūm familiarum studiis. Etenim extinctis quandocunque masculis omnes Fœminæ, quæ renunciarunt auf einen ledigen Unfall/ hoc quasi classico expergefactæ, provocant ad hereditem cui olim renunciarunt. Earum vero haud modicus aliquando concurrit numerus, si diu stetit stirps mascula, & interim longa serie plures fœminarum vel ex fœminis natorum gradus propagati sunt, quæ favore masculorum renunciarunt quidem hereditati, sed in prædictum eventum eam reservarunt. Quo proinde existente, qualibet earum hereditatem suorum Parentum & Fratrum, quin & illata matris suæ, sāpe & illa bona reperunt, ad quæ vel nunquam, vel nondum adspicere possunt.

## §. 19.

Hoc vero perquam luētuosum videtur Nobilibus Familiis, præsertim novissimi masculi, si quam reli-

B

10 DISPUTATIO INAUGURALIS DE RENUNC.

reliquerit, Filiæ; quæ quasi viætima familiæ relin-  
quitur, & veluti concitato quodam Creditricium con-  
cursu omnium exactionibus exposita est. Quod e-  
venire potest, & sâpe quoque factum fuisse ex Actis  
ad Facultatem Viadrinam transmisis abunde patuit,  
ut unica Filia agnata, locupletissimo Patre genita,  
omnibus prope generis ac familiæ ornamentis, Pa-  
rentibus masculis ordine naturæ ac legis in se deri-  
vatis, sive maximâ eorum parte, nudaretur; eaque  
in extraneas jam familias in quas denuptæ sunt Fœ-  
minæ cognatæ remotiores, migraverint ac transfe-  
rint. Unde cum immensa & difficillimæ, tum in tricatis-  
simæ ac pretiosissimæ lites, non modo cum filiabus reli-  
atis, sed & inter cœteras invicem, maxime ob faeti  
circumstantiarum ignorationem, quarum memori-  
am veteritas sâpe delevit, oriri solent, experientia  
teste. Ut adeo, quod tamen salvo omnium judicio  
diatum esto, longè consultius Nobilibus Familiis fore  
videatur, si ex ratione Juris communis Filiæ reliquæ  
cœteris præferrentur, & hæ invicem ordine legitimo  
succederent, ut fieret, nisi Parentes Filiarum magis,  
quam Familia studio ducerentur, ejus tamen splen-  
doris conservatione totius posteritatis salus continetur.  
Quo facto Jus planum foret & tot variæ sumtuosissi-  
mæque lites conticecerent.

S. 20.

Aliquando tamen adeo studium Filiarum præ-  
valet, ut non contentæ hac clausula: biß zum Iden-  
gen Anfall / quæ dubia videtur, & alium sensum  
inferre posset, alias addant reservationis formulas,  
quæ in disceptationem venire non possunt, v. gr.  
Dass Sie nach Abgang des männlichen Stammes wieder  
eum



ET RESERVAT. FOEMINAR. ILLUSTRIUM. II

rum in Ihr völliges Recht als unverziegene Töchter einzutreten / und Ihr Erb Recht / als ob Sie Sich dessen nie verziehen hätten / vorbehalten haben wollen / vel simil.

§. 21.

Igitur de hac clausula, bis zum ledigen Anfall / vel prædictâ adjectione auctâ & explicatâ, vel in eundem sensum abusu communi receptâ, ejusque finibus, prolixissima contentio est; tot jam tractatibus integris agitata, ut Autores illi in plura volumina condensati atque compacti, & magis quæstionum mole res involuta quam explicata fuerit. Cum igitur nulla succinctior ac solidior in Juris perinde, ac ceteris scientiis ratio sit, quam si ad certæ regulæ fontem res deducatur, id paucis tentabimus:

§. 22.

Duo itaque sunt hujus propositæ materiæ capitulo: RENUNCIATIO HEREDITATIS, & RENUNCIATÆ in certum eventum bis auf einen ledigen Anfall / RESERVATIO. De Renunciatione constat, eam Jure Civili irritam esse; quod meri juris civilis esse, ostendit Diff. sub Dn. Præside hic habita de Vot. capt. mort. Sect. 3. §. 4 Unde & Jure Canonico subsistit, si jurata sit: c. 2. de pact. in 6. quia eo jure firmiter auctus solo jure civili prohibitus accedente juramento. arg. c. 28. X. de jurejur. &c. Neque ab hac regulâ usu receditur, nec Jure Sax. Eleitorali, sed solo communi. Moller. L. 2. Semestr. c. 9. Carpz. part. 2. Const. 35. Def. 6. & segq.

§. 23.

Verum in Illustrium ac Nobilium, in primis Immediatorum, familij, etiam sine jurejurando valere

B 2

lere



## 12 DISPUTATIO INAUGURALIS DE RENUNC.

lere renunciationes Filiarum Illustrium verius vide-  
tur: cum in iis causa Juris Canonici, scilicet, quod  
actus Jure Civili prohibitus sit, cesseret. Hartm. Pift.  
P. 4. Qv. 6. n. 40. Non enim illæ hoc casu sunt prohibita,  
sed consuetudine communi, quæ pro lege est compro-  
batæ, adeoque sine vinculo isto canonum validæ & obli-  
gatoriæ, ex illo Prætoris edicto: *Paſta, quæ non sunt*  
*adversus leges &c.* (quibus & consuetudines inveteratae  
continentur l. 32. §. 1. D. de Legib.) servanda esse. l. 7. §. 7.  
D. de Paſt. Idque usū quoque paſtim obtinere, & jura-  
mentum non ad validitatem actus, sed tantum pro  
majore securitate addi, testantur *Mev. Part. 3. Dec. 270.*  
*Henr. Breul. de Renunciat. caus. 3. cap. 6. 7. & 3.* idemque  
eādem ratione pluribus confirmat Autor *Responsi*,  
quod exhibet *Schilter. Tract. de Renunciat. tom. 2. pag. 58.*  
n. 64. & multis seqq. *Herm. Vultej. Conf. Marburg. Vol. 4.*  
*conf. 195.* & ibi alleg. *Brunnem. ad. l. fin. n. 5. D. De Suis & Le-*  
*git. Leucht. Addit. ad Dalner. c. 4. in f. apud Schilter. d.*  
*tom. 2. pag. 20. Frommann. Dissert. de Exist. condit. paſt. renunc-*  
*ber. th. 42. in fin. Schilter. d. Tract. de Renunc. tom. 1. in Præfat.*  
*n. 9. 10. 11.* Nam & ex eādem causā renunciatio here-  
ditatis delata generaliter valet sine jurejurando,  
quia cessat prohibitio Juris Civilis. *Vultej. conf. Marpurg.*  
*Vol. 1. conf. 17. n. 104.* & *Vol. 4. conf. 30. num. 282.* Ut & pari-  
ratione valet consentientibus iis quorum est hereditas  
d. conf. 30. num. 192.

## §. 24

Id vero ambiguæ maximè quæſtionis est, an Fi-  
liae etiam invitæ compelli posint, ut dote congrua  
accepta hereditati renuncient, vel pro renuncianti-  
bus habeantur? Evidem consuetudine receptum  
esse, ut filiae nobiles renuncient, in expedito est, at-  
que

que in id fere unanimia omnium suffragia conspirant.  
*Ertel. Observ. Equestr. Observ. 13. princ. & Obj. 47. princ.*  
*Finsterov. Prædicar. Observ. L. 2. Observ. 104. n. 8. & ibi*  
*alleg.* Verum an inde sequatur, filias etiam cogi posse  
ad renunciandum, non æquè liquet. Et si vero id ma-  
xime in causis liberae Imperii nobilitatis agitari soleat;  
tamen ipsa ab hoc ILLUSTRI COLLEGIO edita testi-  
monia sibi non convenient. Enim vero exiit tale  
testimonium publicum *Geislingæ d. 12. Febr. 1653.* quo  
consuetudo illa afferitur, itque exhibetur *ap. Schilter.*  
*d. tract. de Renunciat. tom. 2. p. 20.* Verum ei deroga-  
tum dicitur aliis literis, quorundam Nobilium nomi-  
ne, *d. 19. Jun. 1711.* editis, quibus contradicitur supe-  
riori, & negatur illud subscriptionibus perfectum  
esse. Pariter proditum est *Fridebergæ Mens. Octobr. 1679.*  
testimonium nobilitatis Rhenensis, in causa Illustri;  
cui *Mense Febr. 1697.* aliud in eadem causâ oppositum  
fuit.

## §. 25.

Cæterum in primis illis literis, Anno 1653. editis  
duo continentur: Primum enim testantur de invente-  
ratâ consuetudine, quod Filiae renuncient; Deinde  
statutum faciunt, ut Filiae ipso Juro pro renuncianti-  
bus habeantur. Posteriori imprimis impugnatur in  
sequentibus literis, ex communis consensus & sub-  
scriptionum defectu. Et hodie adhuc in dubitatio-  
nem vocatur, an tale statutum fieri possit? *Ertel. d.*  
*Observ. 13. per tot.* Verum id non derogat priori capitii,  
quo de antiquâ renunciandi consuetudine testantur:  
sed illud tamen non definit Quæstionem: An filiae et-  
iam cogi possint, si nolint?

## §. 26.

In tantâ concertatione primûm, præter feuda, excipimus bona illa avita sen Salica, Stamm Guhter/ & Fidei commissa Familiæ, in quæ succedendi jus Fœminis non est, præfertim, quibus Jurisdic̄tio co- hæret. Iis ergo vel renunciant, vel, si nolint, ha- bentur pro renunciantibus, vel etiam citra renun- ciationem inde exclusæ sunt, de quo jam actum est *supr. §. 7. & seqq.* Atq; in his adeo bonis renunciatione non est nisi abundans cautela, *supr. §. 13. seqq.* Et hujus veteris Juris Salici vestigia apud Angelios quoque & Thu- ringios, quin & apud Saxones exstittisse tradit *Heig. L. 1. q. 8. n. 66.* qui & *n. 68. & seqq.* inde originem Geradarum ducit. Etsi autem horum bonorum jus sensim multorum locoruim usu vel abusu valde imminentum sit, & hodie pluribus locis etiam Filias Nobilium post Masculos ad ea admitti consvererit, (num ē Republicā? jam mittimus) videndum ta- men quid rei sit.

## §. 27.

Enimvero illoruim hominum manifestum & gravissimum errorem esse existimamus, qui hæc bona cum rebus privatis planè confundunt, & Filias ab illis quoque nullo alio jure, quam renunciatione, ex- cludent, atque ita promiscuum in utrisque jus sta- tuunt. Inprimis enim id inter omnes constat, in al- lodiis illis Nobilium, den Stamm Guhtern/non concur- rere fœminas cum masculis, si extet: Etsi igitur renunciare nolint, tamen ab his bonis exclusæ sunt, adeò ut nec legitimam inde masculis detrahere queant, certumque adeò sit, separata illa esse ab he- reditatibus privatis, in quibus nullo sexus discrimi- ne

ET RESERVAT. FOEMINAR. ILLUSTRIUM. 15

de succeditur; nec sequi vulgarem rerum hereditari  
arum rationem.

§. 28.

Pariter eximium id est horum bonorum, quod extra Familiam, cui conservandæ & ornandæ concessa vel quæsita sunt, alienari non possint; adeo ut vulgo inde *Alodia* dici, putentur, quod Familiae affixa & quasi agglutinata sint. *supr. §. 9. Vadian. ap. Goldast. Alain. Anton. II. part. 1. fol. 1.*

§. 29.

Unde verissima illa sunt fideicommissa Familia, in quibus perinde ut in Fendis, succeditur jure Majorum. Quo sensu & Stamm-Gühter dicuntur, quia à stirpe non abeunt. His igitur aliisque effectibus constat, hæc bona in pluribus indolem pristinam obtinere, & nondum verâ esse in naturam rerum hereditiarum, de quibus pro iubitu disponi, quæque liberè alienari possunt, in quibus quoque promiscue succeditur, & de quibus jura Legitimæ aliaque legibus statuta atque introducta sunt.

§. 30.

Ut igitur de his certi aliquid statu possit, nec incerto jure ea fluctuare, ac indecisa relinquiri necesse sit; ea maxime regula custodienda erit: In his bonis jus olim de iis constitutum adhuc obtinere, quatenus non apparet aut doceri potest, mutatum esse. *per l. 27. princ. C. d. Testam. l. 32. §. fin. ē de Appellat.*

§. 31.

Inde vero hæc quasi consecaria inferimus: I. Filias, quantum ad hæc bona, extantibus masculis, vel teneri renunciare, vel, et si non renuncient ab ho-



16 DISPUTATIO INAUGURALIS DE RENUNC.

horum bonorum successione excludi. Hanc ergo renunciationem non esse arbitrariam, nec à consensu vel voluntate Filiarum, quæ ita vix unquam renunciarent, pendere; sed juris & necessitatis esse. Quod si autem consuetudo allegetur in contrarium, eam plenè probandam esse, liquet.

§. 32.

II. Extinctis masculis fœminas in hæc bona non succedere ex clausula reservatoriâ juris sui, Auff einen ledigen Anfall: Cum enim extantibus adhuc masculis nullum jus succedendi habuerint, nullum quoque reservare sibi potuerunt; quia, quod non est, nec reservari potest: *de quo inf.* sed tum ideo succidunt novissimo masculo, quia ejus morte exspiravit fidicommissum; *supr. §. 12.* adeoque, nisi alia adhuc ratio fœminis obstat, *vid. infr. §. 36. seqq.* patet jam ipsis via intestati, ejusque ordo.

§. 33.

Hinc III. Si novissime defunctus masculus Filiam reliquerit & Sorores seu alias Cognatas collaterales, quæ renunciarunt cum clausula: *bis auff einen ledigen Anfall*, has neutiquam in hæc bona succedere, nec de harum successione quæri posse extante Filia, quia in his bonis succeditur ultimo defuncto ex lege; non majoribus ex paeto: *per §. præced.* Intestati autem ordine Filia excludit collaterales Fœminas: et si in bonis cœteris, merè hereditariis & privatis, quæ tempore renunciationis existere, & in quæ etiam ipæ, si iis non renunciassent, tum successuræ fuissent, alia ratio sit; in iis enim existente casu etiam Illæ cum Filia concurrunt & in jus pristinum regreduntur, omnesque ex illo Parente ortæ Fœminæ, quo-

cun-



cunque sint gradu, pro modo suo in partem admittuntur. *de quo infr.*

## §. 34.

Supereft igitur IV. ut videamus: An hoc casu filia, aut eā non existente proximæ cognatæ in hæc bona, à quibus etiam sine renunciatione exclusæ, post masculos succedant? quod præcipuæ Quæstionis est. Evidem si ad vetustissima tempora respiciimus, vix dubitari potest, quin Germani æquè ac Romani Fœminas à Republicâ omniq[ue] Jurisdictione, ac terris quæ cum aliquâ dignitate vel potestate escent, ipso Gentium Jure excluderint, cùm notissimâ Lege Salicâ, quæ inter scriptas Germaniæ Leges antiquissima creditur, caput hoc exertè relatum & confirmatum, atque inde alia Germaniæ Gentes id suum quoque jus fecerint, ut patet apud *Lindebrogium*, ex Legibus Angeliorum & Werinorum seu Thuringorum tit. 6. §. 1. & Saxonum tit. 7. §. 1. Verum paulatim id in quibusdam populis ita temperatum fuit, ut Masculis extinctis Filiæ quoque succedere possent; quod quousque receptum sit, haud facile est definitu, & variat maximè id Jus locis & sententiis.

## §. 35.

Ut ergo ex normâ §. 30. *supr.* certi quid definiri possit, in primis notandum, hæc quoque bona Salica duum generum esse. *Alia* privata, quæ quidem Familiae Illustri adhærent, sed ob privatas familias rationes; adeoque tantum sunt instar Fidei commissorum Familias, de quibus deinceps agemus. §. 44. *segg.* *Alia* autem publica, quibus annexa est Jurisdiction & magistratus, à quibus fœmina non saltem lege aliquâ Salicâ, vel aliâ vetustâ, sed commun-

C

ni



18 DISPUTATIO INAUGURALIS DE RENUNC.

ni, quin ipso Naturæ & Gentium Jure, ab omni vetustatis ævo, apud omnes Gentes, in perpetuum constanter exclusæ fuere: & à quibus ergo exclusæ adhuc intelligi debent, etiam citra renunciationem, nisi evidenter probetur, justâ lege eas specialiter post masculos admissas esse. Quod jam paulo plenius excutiendum, & in primis cavendum est, ne, quod prono lapsu fieri potest, pro justâ & legali successione Fœminarum accipiatur, quæ talis non est, etsi falso appareat.

§. 36.

Enimvero ex eo quod Fœminæ sèpius in hæc bona, quin & in Principatus & Regna successerint, nequicquam sequitur, Filiarum successiones in iis receptas aut statutas fuisse; nimiumque à vero aberrant, qui ab antiquissimis istis Gloriosissimarum Reginarum exemplis Jus aliquod famineæ successio-  
nis ducunt. Fuere enim Reginæ istæ non Filiæ Regis defuncti, nec Cognatæ ejus proximæ, sed uxores, aliunde nuptiis adscitæ, quarum nulla utique successio fuit in Regnum Mariti. Quin & Liberi ipsis Masculi extitere ex Maritis geniti, & indubitate additæ Regni heredes, sed propter ætatem sub maternâ tutelâ. Ut Matres ergo & Tetrices rem filiorum gessere; sed tanta earum indoles heroica fuit, ut, cùm Regni quoque curam susciperent, facile admiratione virtutis ipsis id permisum, quin & mortuo Filio vel pubere facto, continuata potestas vi vel sponte fuerit. Tales enim fuere Semyramis Babylonica, de qua! Justin. L. 1. c. 1. § 2. ubi notanter additæ eam sexum mentiam fuisse; nempe ex rationibus Juris G. quas allegavimus add. Cl. Salmas. not. ad Histor. August.

223.

ET RESERVAT. FOEMINAR. ILLUSTRIUM. 19

223. cui geminum est quod Gramond. habet p. 4. seqq. ad Ann. 1610. ibi : ne Condens in Galliam redux, prævaleret. Tomyris Massagetica, Justin. L. 1. c. 8. Scybarum Regina, Frontino Tamiris 2. 5. conf. Jornand. in Getic. c. 10. Valer. Max. IX. 10. Herod. T. 207. Lucian, in Charont. eamque Justin. d. l. adolescentuli Filii & rei militaris ignari, tutricem perhibet s Zenobia Palmyrena. qua Odenatus Regis apud Palmyrenos, Viri fortissimi, Uxor, Græca & Latine doctissima, Marito demum caso Orientis & Aegypti Imperium diu rexit, nec muliebriter, sed ea cum laude Regentis explevit partes, ut omnium Judicio virago melius, quam Princeps mulierosus ( hic erat Gallienus A. C. 269. ) Imperio potiretur s omnibus ipsa expeditionibus galeata interfuit, præliisque viatrix excessit, ab Aureliano Imp. tandem, vieta & in triumpho ducta, Romæ in summo honore consenuit. Candace Aethiopica : quæ plures memorantur. Vid. Strab. lib. 17. cap. 14. Luc. II. 31. II. Paralip. c. 9. Act. Apostol. VII. 26. conf. Anonym. doctiss. Continuat, ad Puffend. Hist. Idiomate Anglici c. 6. §. 3. add. Plin. Hist. Nat. L. 7. Teuta Illyrica : Polyb. lib. 2. Hist. c. 4 Amalasvinta Gothica : de eâ Platin. in Agapet. & Job. I. Margaretha Danica. de quâ Georg. Horn. Orb. Polit. p. m. 94. & alia quæ plurimæ. Quæ tanta mulierum nomina, quarum tam pervagata per orbem terrarum gloria est, nullum adeo fœminæ successionis exemplum suggerunt, neque ab istarum mulierum statibus, cum a Scythicis Amazonum rebus, vel( ut Straboni placet) fabulis ( quæ tamen nec ipsæ huc quadrant, ) discesseris, nullum congruum successionis fœmineæ in Bonâ Reip. exemplum arcessi posse videtur. Nam & Margaretha Danica Norvegi Regis vidua fuit, atq; ex eo Filium Olanum habuit, & reliqua duo Regna Daniae & Sve-

20 DISPUTATIO INAUGURALIS. DE RENUNC.

ciꝝ tum voluntate & electione deferabantur *vid. Job. Meursius. Histor. Danic. Part. 2. L. 4. fol. 93.* ubi refert Eam, etſi Fœminam, alii 5. liberis natu majoribus prælatam, nullo antea exemplo Regni in Daniâ muliebris, in folio Patris collocatam. *& fol. 94.* Ei & curam ætatis, & regni Filii commissam præcipue postquam Albertum Sveciæ Regem ingenti prælio vietum cepisset Regnumque ejurare cœgisset. *conf. Georg. Horn. in Orb. Imper. p. m. 367.* Adeo, ut ab omni antiquitatis memoriâ nullum vestigium talis successionis fœminarum in bona Reipublicæ, quibus cohæret Jurisdic̄tio aut Magistratus, qualem nunc querimus, appareat. Quam & insignes illorum temporum Poëtæ sententiam foverunt docueruntque: Sic Menander. *γυναι δὲ ἀρχεῖν καὶ διδωτοῖν οὐ φέτος,* & elegantiss. de Romanorum ævo, uti solet, id comprobat Tac. *d. M. G. c. 45.* cum refert & improbat, *quod in Sitonum Gentibus fæmina quoque dominetur: in tantum, addit, non modo à libertate, sed etiam à servitute degenerant*

S. 37.

Interest igitur, ut demonstretur, ex quibus causis, quoisque, & quibus gradibus illa paulatim inoleverit. Causas cur fœminæ, etſi ab omni aliâ Republicâ, ejusque muniis, ubique Gentium, semper exclusæ fuerint, in Regnis tamen ac Principatibus admitti aliquando cœperint, duas maximè fuisse existimamus. *Prima* fuit, ut evitentur ingentes illæ turbarum procellæ, quibus Respubl. concurrit, atque in summum sæpe discrimen extintæs masculis, adducitur, dum Proceres studiis inter se dimicant, & cum invicem subjici, tum extraneo parere perinde

inde fastidiunt. *Vid. Tac. II. Hist. c. 20. cuius rei exemplum est apud Loccen. Hist. Svec. L. 3. c. ult. in fin.* Huic malo proinde ac periculo proutissimum remedium est, si, cum foemina saltem Regii sanguinis superat, Illa, vel ejus Maritus, aut Masculus ex eâ natus eligatur. *vid. Dn. Præs. de Jur. Publ. c. 7. §. 16.*

§. 38.

*Altera causa est in meritis Illustris Familia, in cuius gratiam extinctis masculis superstite Filiæ, vel, si sexus obstet, Ipsius Filio aut marito quandoque denuò concedi solet, vel beneficio aut affectu Domini, vel voluntate Populi aut Eligentium. Ita, et si nulla res magis pugnet cum conditione sexus foeminei, quam Electoratus & Archiofficia Imperii, ipseque Palatii Regni Præsidatus; certumque plane sit, Foeminas nunquā in hæc munia succedere, tamen mortuo sine liberis masculis Hermanno, Comite Palatii Rhenensis, cuius Filia nupserat Conrado Barbarossa Fratri, huic cesit Electoratus & Comitatus Palatii Rheni; & illo quoque sine prole masculâ extintâ, ipsius Genero, Henrico Saxoni, & pariter post hujus obitum, nullis relictis masculis, Ottoni Illustri, cui Henrici Filia nupserat, & à quo descendunt hodie omnes Serenissimi Principes Palatini, & Duces Bavariae. Atque ita contigit, ut Electoratus, Comitatus Palatii Regni, & Archiofficium Dapiferiarum, per tres ordines filias & eorum maritos propagata fuerint. conf. Radovic. de Gest. Frider. L. 1. c. 25. & 34. Kyriand. ap. Freber. Orig. p. 1. c. 11. Albert. Stadens. ad ann. 1194. Non utique Jure Successionis: ut MINISTRI GALLICI in Lite inter Serenissimas Familias, Palatinam & Aurelianensem contra evidentiam rei, existimabant.*

C 3

bant.

22 DISPUTATIO INAUGURALIS DE RENUNC.

bant, sed beneficio Cæsaris. Pariter, vacante Electoratu Saxonico morte Magni, de eo etiam certabant Henricus superbus & Albertus Ursus, quod ejus duas ex filiâ neptes duxissent. *vid. dict. Jus Publ. c. 7. §. fin.*

§. 39.

Atque hoc in Feudis quoque licitum & non insolutum fuisse, colligitur ex I. F. 14. in verb. *Si Dominus Filiæ dare voluerit, propter servitia & amorem Patris, non revocentur ab ullo ex Parentibus suis.* Et verum ergo est, quod ait Breulæus, *de Renunc. Filiar. Caus. 2. cap. 6. n. 5.* fieri posse novam concessionem Filiæ, vel in favorem Parentum, vel mariti seu Sponsi. Idemque adeò est in Allodiis illis seu prædiis Salicis, vel avaticis, ut vocant, quibus Jurisdictiones, aut Jura publica Magistratus inhærent, & quorum adeò, etiam circa renunciationem, Fœminæ incapaces sunt, nisi vel à Principe, vel voluntate Populi ipsis successio permissa fuerit.

§. 40.

Cœterum, hoc ipsum, quod ita gratiæ, favoris & affectus fuit, aliquando in necessitatem raptum, & quasi pro merito assertum, aut pro jure, et si non esse constaret, usurpatum est, uti modo apparuit exemplo Henrici Superbi, & Alberti Ursi. *supr. §. 38. in fin.* Et refert Aventinus, *Annal. Boj. Lib. 5. fol. 331.* circa tempora Henrici IV. occasione aetatis ipsius, Nobiles pro arbitrio sibi arrogare Jura cœpisse, & deinde quasi justâ usucapione & consuetudine quæsita defendisse, idque libertatem avitam, & Jus Equestre dixisse. Hæc ergo discernenda sunt à Jure, legitimâ consuetudine justisque modis quæsito. Quod utut

utut facti, & oppido lubricum s̄ape sit, id tamen certò semper tenendum, quod probari necesse sit. supr.  
§. 28.

## §. 41.

Tale Alodium fuit olim Comitatus Hollandiæ ; quæ pars fuit antiqui illius Regni Frisici. Idemque jactatur de Comitatu Hannoniæ , quod non recognoscatur, nisi à DEO & SOLE. Gudelin. de Feud. Part. I. cap. 3. §. 9. unde quidam in eo exemplum Feudi Solis ponunt. Dn. Eiben. de Feud. cap. 6. §. 7. Horum Comes Wilhelmus obiit Anno 1345. sine Liberis, relictis Sororibus, quarum Major nupta fuit Ludovico Bavaro. Hunc ergo refert Author Magni Chron. Belg. fol. 303. in Conventu Principum Regni decernendum proposuisse, quid de Successione Comitatus Hollandiæ et quum videretur ? & decretum fuisse ; Vacare Eum Imperio : Inde Imperatorem eum donasse Uxori, quæ erat Germana defuncti Comitis: Hanc itaque possessione ejus apprehensâ eum commendasse Filio suo Wilhelmo. Hinc, cum Filius mortuo Imperatore contenderet, Comitatus hos ad Imperium devolutos fuisse, se vero Imperatoris Filium, eoque heredem esse ; Mater vero, quicquid Filius Juris haberet, non ex vigore Imperii esse, sed ratione Matris, Comitatum heredis ; natum inde est funestum & impium bellum inter Matrem & Filium, adeò, ut pugna navali decertarent, quâ mater viæ transfigit cum filio, ut ad dies vitæ Hanoniam teneret ; sed Hollandiæ Seelandiæ & Frisiæ cederet Filio. Auth. Chron. Belg.

## §. 42.



§. 42.

De eâdem re memorat Alb. Argent. in Chron. apud Urstis. part. 2. ad Ann. 1346. fol. 135. mortuo Comite cùm populi istorù Comitatuū decrevissent, Imperatricem & unum de Filiis Ipsius accipere in Dominos; Eâ cum Filio novenni eo profectâ, Imperatorem (cum Uxoris redditum urgeret, Populi vero seniorem ejus Filium sibi Dominum esse vellent) misisse Filium Wilhelnum. Is vero est, cum quo mater deinde prædictum bellum nefandum gesit.

§. 43.

Sed & jam ante ita defecerat in Comitatu Hollandiæ stirps mascula, Johanne Comite sine Liberis mortuo & refert Idem Albert. Argent. d. tract. fol. 111. eâ morte Comitatus Hollandiæ & Seelandiæ vacasse Imperio; & cum Johannes Comes Hannoniæ, qui cognatus erat, eos occupasset, Albertum I. Imperatorem cum validâ manu in Belgium expeditionem suscepisse, ut vindicaret eos Imperio; sed persuasum ab Uxore Comitis Clivensis, agnatâ sua, quasi omnes Principes Belgii in eum conspirassent, metu recessisse. Quod idem relatum, & Alberto exprobratum Spiræ fuit anno sequenti, cum auxilium ab Urbe requireret adversus Electores Ecclesiasticos ad vindicanda Imperio vestigalia Rheni: Cum enim eâ de re consultaretur in Senatu Spirensi, recensuit Consul hoc factum, quod, cum superiore anno, Comitus prædicti vacassent Imperio, & Imperator cum exercitu Eos asserrere debuisset, ille ad prædictum consprationis nuncium adeò timore corruptus fuerit, ut clam suis affugerit è castris & exercitum revocaverit: notatâqve inde ejus inconstiâ animi, sen-

ET RESERVAT. FOEMINAR. ILLUSTRIUM. 25

sententiam dixit, non tutum esse, auxilium ei adversus Eletores polliceri. *Lehm. Chron. Spirens. Lib. 7. c. 3.*

§. 44.

Quibus exemplis appareat, visum decretumque fuisse, ejusmodi Allodia, extintis masculis, Imperio vacare; sed, si ex foemineâ saltem cognatione Proximi superfuerint, sàpius vel beneficio Principis, vel voluntate populi, vel de facto quoque, successionem ad superstites foeminas, vel per foeminas proximè cognatos pervenisse. Quò & apprimè confirmantur cùm ea, quæ de causis successions foeminarum in hæc bona tradita sunt *supr. §. 35. §. seqq.* tùm quod §. 13. 26. & 29. 30. dictum est, Filias, et si nolint renunciare, ab his tamen bonis excludi, & renunciationem, si fiat, saltem majoris cautelæ loco esse.

§. 45.

Hic itaque evidenter probandum esset, hæc quoque bona Salica seu Alodia, quæ cum imperio & potestate sunt, legali consuetudine ita abjecta esse in censum rerum privatarum, ut Foeminae, nisi ultrò renunciaverint, Jus in ea, in eventum mortis masculorum (nam iis quoque superstibis, Foeminius Jus esse, vix cuiquam in mentem venire arbitror) quæsitum habeant, idque adeò in casum aliquem sibi, invito superiore Principe vel Populo, vel masculis, reservare possint.

§. 46.

Sequitur de reliquis Illustrium Allodiis, seu, ut vetusti usus, & certioris significatus nomine porro utamur, bonis Salicis: *vid. supr. §. 35.* quæ quidem & ipsa ob Familiæ dignitatem & merita, eoque ex publicâ causâ à Majoribus quæsita sunt, sed nullâ anne-

D

xâ



26 DISPUTATIO INAUGURALIS DE RENUNC.

xā potestate publicā , Jurisdictionis, vel Regalium : unde Jure Communi Fœminæ horum bonorum non sunt quidem incapaces ; sed Vetus Jure Salico, quod de terris Salicorum seu Illustrium & Nobilium conceptum est , specialiter exclusæ , in quibusdam vero Populis, saltem superstitibus masculis inde remotæ *LL. Ripuarior. tit. 56. LL. Bajuvar. tit. 14 c. 7. LL. Anglorum. tit. 6. in fin.* Cum itaque hoc ultimum Jus usu continuatum fuerit, & nostro quoque tempore in Illustrium ac Nobilium Familia observetur, certo Jure constat, Filias his quoque bonis renunciare teneri, aut, si detrectent, adhuc tamen, dum masculi extant, à Successione repelli : prout idem est in Fidei commissis Familia, quæ Jure communi quoque in Personâ ultimi Masculi desinunt. *Supr. §. 29. seqq.* An autem in eum casum sibi aliquid reservare possint, deinceps tractabitur.

§. 47.

Supersunt igitur adhuc Bona privata , Jure hereditario , vel operis causisque privatis quæsita, aut in rem propriam concesa, in quæ promiscue succeditur, & in quibus par utriusque sexus conditio est *ex Nov. 118. c. 3. in fin.* Ista igitur bona sunt, in quibus renunciatio Filiarum non saltem cautio- nis & securitatis majoris, sed obligationis causâ intercedit, & liberâ voluntate consuetuque Filiarum fit. Unde invitæ illis renunciare non tenentur, nisi hoc justa consuetudine receptum ritè doceatur.

§. 48.

De his ergo tantum Bonis quæstio *supr. §. 25.* proposita intelligi potest, & hoc unicè dubium re- manet.

manere : An fœminæ Nobiles his privatis quoque rebus, seu hereditati Parentum, ex usu Imperii teneantur renunciare. De cœteris bonis res Jure communi & Gentium confecta est, & exclusæ Filiæ, ut vidimus *supr.* 44. cui immoto pede insistendum est, quoad ritè probata fuerit consuetudo contraria. Neque vero haētenus probatum apparet, Filias Nobiles prædictis hereditatibus Parentum teneri renunciare, neque, cœteris rebus non teneri.

## §. 49.

Equidem prius vulgò creditum fuit, & testis est Dominus Præses, plurimas Dispositiones Illustrium Testatorum in Franciâ, Svevia & Traetu Rhenensi, in manus ipsius pervenisse, quibus ab ipsis Testatoribus assertum fuit, consuetudine receptum esse inter Nobiles immediatos, ut Filiæ renunciare teneantur. Ita Illustris Testator de G. anno 1606. Testamento sic cavit ; daß Sie / (die Tochter) hiermit allerdings aufgesetzt und abgefertigt / und Vermöge des gemeinen lobl. Adels Gebrauchs/pflichtig / schuldig und verbunden seyn sollen / zu erhaltung Adel. Stammes und Nahmens sich aller weiteren Väterlichen/ Mütterlichen und Brüderlichen Erbschafft / so lange noch ein Bruder oder deren Kinder Männlichen Stammes im Leben / in optimâ formâ zu verzeihen und zu begieben; inmaßen von meiner ältesten Tochter deren von E. allbereit geschehen. Cui geminum est alterius Illustris Testatoris exemplum, qui A. 1671. ita disposuit : So viel nun meine noch unverheyrathete Tochter anbelanget/da ist nun offenbahr / daß Solche mit den Männlichen Stämmen/ weisen durch Sie Nahmen/ Stamm/ Schild

D 2

28 DISPUTATIO INAUGURALIS DE RENUNC.

Schild und Helm nicht conserviret werden / NB. nach der loblichen Gewohnheit unter der freyen Reichs Noblesse, an der Väterlichen Verlassenschaft nicht zu gleichen Theylen admittiret/sondern mit einem Stück Geld zur Heim-Steuер und Aufstaffierung versehen / Sie hierdurch aber zur äydlicher Verzicht Vater Mütter- und Brüderlicher Erbe angewiesen werden. Et mox ad- ditur : Mit dem ganz Väterlichen Versehen und Befeh- len / Sie Sich darmit NB. wie unter Adelichen Perso- nen Herkommens/ vergnügen / und an meinen institu- irten Erben ein mehrers nicht verlangen / sondern Sich gegen dieser Disposition obgemeldeter maßen bedeuteter Erbschafften Äydlichen verzehen und begeben SDE- LEN und werden. Sed nec ullum apparuit exem- plum in contrarium. Coeterum cum ei contradixe- rit testimonium recens editum, de quo *supr. §. 24.* nondum videtur hæc consuetudo satis decisa ac pro- probata.

§. 50.

Hinc vero Jam trita est via, ad alteram Dispu- tationis partem , de Reservatione ejusque clausula Renunciationis adjecta : auff einen ledigen Anfall : quam & ipsam paucis expediemus.

§. 51.

Certum igitur est, Filias illis bonis, quibus li- berâ voluntate renunciant , scilic. quæ privata sunt, ac ex hæreditate & beneficio Defuncti profi- ciscuntur , etiam reservationes pari libertate adjicere posse. Cùm enim in potestate Ipsarum sit , planè non renunciare , poterunt etiam certè renunciationi admissæ modum ac legem annexere ; atque ita, ut omnem rejicere, sic & restrictam ad- mit-

ET RESERVAT. FÖEMINAR. ILLUSTRIUM. 29

mittere. Et vice versa : uti universum jus suum hæreditarium retinere possunt, ita & in casum reservare : totumque adeo hoc negotium quoad hæc bona consensu peragitur.

§. 52.

Unde è contrario sequitur, Filias, et si cœteris bonis renuncient, nihil inde in eventum, suo Jure & invitis masculis, sibi reservare posse : Non in primi generis bonis, quæ cum potestate concessa sunt Familia, quippe à quibus Jure Communi & Gentium in perpetuū exclusæ sunt : *supr. §. 13. 35. 36.* nec in altero Allodiorum genere & Fideicommissis Familia; quia superstitibus masculis, cum nihil in ea jurishabeant, nihil etiam reservare sibi possunt; masculis autem deficentibus, si talia sint bona, quorum Föminæ post Masculos capaces sunt, Jus tantum Intestati sequitur: quo proindeordo quoque Intestati obtinet, ut Föminæ jam ex lege *Nov. 118.* non ex reservatione, vel propriâ, vel earum quæ Jus nullum succedendi habuere, succedant: in id scilicet Jus, quod tum demum morte masculi nascitur, antè vero nondum natum unquam fuit.

§. 53.

Quod planius & evidentius apparebit, inspectâ reservationis, quæ renunciationi jungitur, indeole. Per eam enim Filia in præsens hæreditate ita cedunt, ut in casum sibi eam reservent. Si igitur tempore renunciationis seu cessionis nullum ipsi Jus hæreditatis fuit, nec ullum istæ Jus, quod Ipsæ non habent, cedere, *I. 20. princ. D. de Acquir. rer. dom. I. 54. I. 120. D. de Reg. Jur.* nec ullum adeo ex eâ cessione sibi reservare possunt.

D 3

§. 54.



## §. 54.

Atque ea est perpetua reservationis notatio, quæ est Juris, quod quis habet, reservatio; non ejus, quod quis non habet acquisitio: Acquirimus enim, quod nostrum non est; reservamus, quod est. Nec naturâ fieri potest, ut quis acquirat quod jam habet, & reservet sibi quod non habet. §. 10. de Legat. §. 14. de Action. l. 82. D. de Verb. Oblig. l. 16. D. de Contrah. Emt. l. 41. §. 2. D. de Legat. 1. l. 13. c. eod. Unde inter omnes constat regula: Quod reservatio nihil novi Juris tribuat, sed tantum quod est, conservet. l. 72. D. de Legat. 1. l. 6. fin. D. Comm. præd. l. 28. inf. pr. ff. Ad Sct. Treb. Quod certatim probant DD. in d. l. 72. Ant. Natt. Conf. 26. n. 9. Reusner. L. 1. conf. 12. n. 103. & seqq. Cravett. tom. 1. conf. 29. n. 8. & alibi saepè. Wesenb. Vol. 1. conf. 4. n. 48. Confil. Id. Marp. Vol. 1. conf. 21. n. 21. Mev. Part. 1. Dec. 55. n. 4. & part. 8. dec. 62. n. 2. Klock. tom. 2. Conf. 16. n. 97. & 98. Addid ut, si credatur Jus esse, idque sibi ideo quis reservet, inutilis sit reservatio. d. l. 6. f. D. Comm. prædior. d. l. 72. D. de Leg. 1. Id. Marpurg. d. l. Natt. d. l. Nam & Logicorum triviis decantatisimum est, quod non est, reservari non posse. l. 2. D. de Usufr. Cravett. tom. 2. conf. 226. n. 6. Add Cothm. vol. 4. resp. 16. n. 43. Zach. lib. 2. conf. 1. n. 73.

## §. 55.

Ex hac igitur indubitate & immota Juris regulâ fluit jam certissima hæc, quæstiones tantopere in hâc materiâ inter Dd. agitas decidendi ratio; ad hanc amusim exigenda: Quod filiæ, quæ renunciarunt auff einen ledigen Anfall / existente casu id Jus unice recipiant, quod tempore Renunciationis habuerunt, & quod tunc

ET RESERVAT. FOEMINAR. ILLUSTRIUM. 31

tunc accepturæ suïscit, si eo non cessissent.  
Nam & unum idemque est, quod in præsens ceditur  
& quod in eventum ex cessione reservatur: nec un-  
quam plus esse potest in reservatione, quam fuit in ces-  
sione. *Jur. S. 52. S. 54.*

S. 56.

Hinc ergo iterum inevitabili consequentiâ con-  
cluditur, ex tali Reservatione Filias has, earumve  
hæredes, existente casu nihil Juris sibi afferere pos-  
se in bona, quorum Jure Communi & Gentium sunt  
incapaces, scilicet quæ cum potestate & Jurisdictione,  
seu cum Juribus Regalibus, Familia concessa aut quæ-  
fita sunt. Quin etiam in Fideicomissa Familia, nedum  
in illa Bona, à quibus veteri Jure Salico aut simili  
exclusæ sunt, & generaliter in illa Bona, in quæ extantibus  
saltem masculis succedere non possunt, ex  
reservatione ipsis non erit regressus; sed, si sint bona,  
à quibus Fœminæ non in perpetuum exclusæ, sed Mas-  
culis tantum postpositæ sunt, quòd & ipsa Feuda fœ-  
minea pertinent, etiam sine reservatione, ipsâ pote-  
state Juris, cessante jam impedimento, succedent ul-  
timo masculo, jure & ordine Intestati.

S. 57.

Ab eodem capite jam ducuntur plura alia: uti,  
quod ad Bonâ vere hereditaria, ad quæ propriè Re-  
nunciatio & in eventum Reservatio spectat, omni-  
bus Fœminis, quæ in favorem Masculorum renuncia-  
runt, ex clausulâ Reservatoriâ adjectâ, sensu jam re-  
cepto, pateat aditus; sed non ad aliud Jus, quam quod  
tempore Renunciationis habuerunt. Unde si Paren-  
tes, quorum hæreditate abstinuerunt, Intestati de-  
cesserint, totam hæreditatem vel Ejus partem, quam  
tum

**32** DISPUTATIO INAUGURALIS DE RENUNCIA  
tum pro numero liberorum, habituræ fuissent, recipiunt: si cum testamento; non nisi supplementum Legitimæ, quippe, quam solam factō Testamento petere potuerunt; adeoque nec plus sibi reservare. *per S. 55.*

**S. 58.**  
Unde liquidò refellitur, quod ex parte Fœminarum Nobilium moveri posset, & motum esse novimus, quæ ex Reservatione, aufz einen ledigen Anfall/ regressum pleno Jure in hereditatem Parentum vel Fratrum, cui renunciarant, sibi deberi contendebant, & inauditum inter Nobiles Immediatos esse, Filias tantum in Legitimam vel ejus supplementum restitui, cum plenum Jus suum sibi reservaverint. Enimvero ita est: Repetunt omnino Jus suum, quod tempore Renunciationis fuit, plenissime. Sed id Jus plenisimum factō Testamento non aliud est, quam Legitima ejusve supplementum. Hoc igitur si consequitur Fœmina, Jus omne, quod tunc factō testamento habere poterat, & cui renunciaverat, plenissime recuperavit.

**S. 59.**  
Hinc porro hæc nunc inferimus Consecataria: I. Si Filiæ Parentum hæreditati renunciarunt his zum ledigen Anfall/ & Parentum alter testatus alter Intestatus decessit; existente casu in hujus Bonis virilem portionem, quam ab Intestate habituræ fuissent, recipiunt; in illius, nihil quam Legitimæ supplementum.

**S. 60.**



§. 60.

II. Si Titius, cuius Filiæ tres renunciarunt, Filium Cajum, hic vero solam Filiam reliquerit, hæreditatis Titii quatuor partes fiunt, quarum tres Filiaibus ex regressu cedunt; quarta fuit portio Caji, quam Filia Ipsius capit. Quodsi vero Titius Cajum hæredem scripserit, tota hæreditas ad hujus Filiam transit, nec Amitæ ex regressu amplius petere possunt, quam supplementum Legitimæ.

§. 61.

III. Si Titius Filium Cajum & tres Filias; Cajus similiter Filium Sejum & tres Filias, idque ex duabus Uxoribus, Sejus vero solam Filiam reliquerit; & Titius avus testatus, Cajus Pater Intestatus decesserit, uxorum quidem Bona ad cuiusque Liberos pro Virili pertinent; ex Titii vero hereditate Filiæ Ipsius quadrantem simul, & sic singulae Unciam, collatâ dote, in eventum recipiunt; reliquum Dodrantem Cajus, uti suam hereditatem, ad Filium Sejum transmittit. Ex hæreditate Caji, in quâ Dodrans Bonorum Titii continetur, Filiæ ipsius existente casu Dodrancem repetunt; & Filius Sejus, et si Caji Patris ex aſſe hæres, tamen Quadrantem faltem ad Filiâ suam transmittit: cum ē contrario, si Titius Avus intestatus obierit, & Cajus Filium Sejum hæredem fecerit, Titii Filiæ, eveniente casu, Dodrancem vindicant, & Quadrans tantum penes Caji heredes in eum casum remanet. Caji vero Filiæ Quadrantem faltem sortiuntur, & Dodrancem seu 9. uncias Filius Sejus in Filiam transfundit. Et consequenter, si uterque vel testatus vel Intestatus obierit.

E

§. 62.

§. 62.

Cœterum salvō omnium Judicio cavendum existimamus, ne hujusmodi pæcta reservatoria, auff eis  
nen ledigen Anfall. habeantur pro resolutivis, neque comparentur juri postlimini. Etenim pæcta re-  
solutiva sunt, per quæ totum negotium retrò resol-  
vitur, quasi nunquam gestum id fuisse, adeò ut post  
resolutionem nihil retrò amplius subsistat: uti, cùm  
conditio resolutoria adjicitur, omnia in præteritum  
ita corruunt, & ita in pristinum statum restituuntur  
ac si nunquam actum quid esset. tot. tit. D. de In diem  
add. tot. tit. D. de Leg. Commiss. l. 29. D. de Usucap. l. 6.  
§. 1. D. de div. temp. præser. quod idem & in postlimi-  
nii casu usuvenit. At ex hoc pæcto ē contrario nihil  
resolvitur, sed omnia medii temporis Jura integra ma-  
nent & in perpetuum persistunt: masculi enim in-  
terim fuere & mansere hæredes, omniaq; percepta re-  
tinent & ad hæredes suos transmittunt, nihilq; eorum  
resolvitur.

§. 63.

Quin tantum abest, ut hæc pæcta sint resolu-  
tiva, ut ē contrario sint suspensiva; per ea enim  
suspenditur aditio vel acquisitio in eventum eius le-  
digen Anfallis. Quæ duo ex adverso invicem oppo-  
sita esse constat. Quod resolvitur pure contractum  
& quæsitum est, & ex eventu tollitur; quod verò suspen-  
ditur, id contrâ ex eventu acquiritur, uti hoc casu.

§. 64.

Neque hoc facit, distinctio Dd. inter pæcta re-  
solutiva *ex nunc* & *ex tunc*, ut loqui amant. Evidem  
pæcta illa vel in continentि adjici possunt, vel *ex in-*  
*tervallo*: sed in utrisque resolutio fit ad ini-  
tiuum

tium negotii: nisi in posteriori specie dictum sit, ut ex  
nunc. i. e. à momento pacti resolutio in eventum fiat:  
quæ ad hanc speciem non pertinent, ubi non resolvi-  
tur in eventum, sed acquiritur.

## §. 65.

Et sane, si ex verò res æstimetur, nihil aliud  
id est, quam pactum de non petendo ad tempus, vel  
ante eventum. Competit enim in his bonis Filiabus  
Jus succedendi & quæ inde dantur actiones; sed  
pacto promittunt se non petituras, dum superflunt  
masculi. His ergo existentibus si petant, repellun-  
tur exceptione pacti de non petendo; quæ, cum ex-  
tentis illis desinat, petere jam & agere cum effe-  
ctu possunt.

## §. 66.

Ex traditis & illud jam patet, Filias non posse  
ullos fructus ex hereditate cui renunciarunt pete-  
re, nisi ab excessu ultimi masculi, idque ratione &  
naturali & civili constat: Ante enim nulla ipsis a-  
ctio, nullumque jus in bona ista competit, sed ea,  
eorumque fructus & commoda masculorum sunt:  
& Filiarum portiones renunciatione ipsarum accre-  
scunt Filiis; nec ex reservatione jus Filiarum re-  
viviscit ante excessum masculorum. Interim ergo  
Fœminas ex bonis alienis, & ante existentiam con-  
ditionis, nullos fructus, etiam ratione Legitimæ aut  
Ejus supplementi, cui renunciarunt dote acceptâ,  
percipere vel petere posse, notissimi juris est.

## 36 DISPUTATIO INAUGURALIS. DE RENUNC.

§. 67.

Prorsus vero alienum hinc est, quod possessores teneantur, quatenus ex fructibus locupletiores facti, & vigore SCti in l. 20. §. 6. & seqq. de Hæred. petit. Illud enim agit de possessoribus alienæ hæreditatis, ex quā illi fructus, tanquam ex re alienâ perceperunt. Masculi autem ex suâ hæreditate & ex suis bonis fructus suô jure acquisiverunt, nec quicquam inde Filiabus debuerunt. Id autem liquet, fructus hos etiam ex Fidei-commisfis Familia, Feudis, ac prædiis Salicis quæsitos, allodii & juris hæreditarii esse adeoque, quatenus tempore mortis adhuc in bonis fuere, computantur in partem hæreditatis renunciatae, in quam Filiæ ex regressu succedunt.

§. 68.

Pariter nec de ære alieno scrupulus relinquitur: Constat enim, as alienum hæreditarium sequi hæreditatem; l. 1. D. Si cert. pet. l. fin. C. de Hered. Act. l. 26. C. de Pact. l. 17. §. 1. D. de Testam. milit. Meo. p. 2. Dec. 190. n. 3. nec bona, in quæ regrediuntur fœminæ, intelligi, nisi eodem modo. S. f. de Leg. Falc. l. 7. pr. Cod. eod. l. 165. D. de verb. Sign. &c. Si ergo plurimum sit as alienum, relegandum id est ad suam quodque hæreditatem unde profectum est; & inspecta quantitate, quæ tempore mortis ejus, de cuius hæreditate quæritur, fuit, deducendum est à bonis, in quæ regressus Filiabus panditur. arg. l. 73. princ. D. Ad Leg. Falc.

§. 69.

Unde, licet masculi possessores id non solverint, non id officit Filiabus, nec proficit, quippe quæ capiunt partem bonorum, quæ tempore renunciations iis competiisset, atque adeò computatis bonis, quæ



quæ deducto ære alieno, quod tum fuit, supersunt. *Æs alienum autem masculorum heredes sequitur, per S. præced.* Quod si ergo hæreditas v. g. Titii, qui reliquit Filium & Filiam, quæ renunciavit, fuerit 30000. in quibus 12000. æris alieni, Filia in eventum repetet 9000. & Filius ejusque hæredes æs alienum solvunt. Vel restituendas esset Filiæ Semis, non bonorum saltēm, sed totius hæreditatis, ut ipſa suam inde partem æris alieni solvere posset, quod reapse eodem recidit.

## §. 70.

Fieri vero potest, & in factō contigit, ut, cūm Filia natu major dote accepta nubens, renunciasset, deinceps masculi ante extinguerentur quām reliquæ Filiæ minores & ipſæ renunciarent; quo factō ancipitis valde quæſtionis est, utrum hæ quoque adhuc renunciare teneantur, aut pro Renunciantibus habendæ sint? Nec parum interest: Etsi enim jam existente casu des ledigen Anfalls hactenus par sit omnium conditiō, ut æquè succedere possint, tamen maximum adhuc discrimen est in succeden- di initio, &, quæ inde sequitur, fructuum juriumque acquisitione. Nam Filiarum, quæ renunciarunt, jus non incipit, niſi ab excessu ultimi masculi; reliquarum, ab obitu ejus cuius de hæreditate queritur. Illæ seqvuntur masculos: hæ concurrunt; uti in spe- cie propositâ §. 61. *supr.* Illæ à morte Seji Fratris; hæ à morte Caji Patris jus naclæ sunt, & ab eo tempore fructuum aliorumque Jurium ratio ineunda est.

## §. 71.



In hac specie planum jus foret, si usu Imperii Filiæ Nobiles renunciare tenerentur; sed cum id nondum satis ad liquidum deductum fuerit, *supr. S. 24.* excutiendum, quid Juris, si reliquæ nec vellent renunciare, nec adigi possent. *Enim vero non ambigimus, adhuc omnes pari jure fore, & vel minoris quoque Filias pro renunciantibus, vel majoris pariter renunciationem pro irritâ habendam, & ita statuendum esse, ut vel omnes vel nullam renunciassent, eoque inter se pares esse intelligantur.* Certum enim est, majorem Filiam non renunciassent in favorem sororum, sed masculorum: quæ proinde causa sororibus prodeesse non potest, in quibus illa cessat. Sed nec alia utique intentione major filia abdicavit se hæreditate, quam quod persuasa esset, ex eodem usu Nobilitatis, qui Majorem induxit, pariter sorores quoque renunciaturas esse. Nec dubitari potest, Filiam majorem non passam fuisse, se abstineri hæreditate parentum in gratiam Fratris, si scivisset, sorores minores cum Fratre concursuras esse. Non potest igitur aëtus voluntatis operari ultra intentionem agentis & finem aëtus. *I. 16. pr. D. de reb. cred. l. 3. S. fin. D. de obl. & Act. Mev. p. 2. Dec. 76. n. 2. Carpz. p. 2. Conſt. 32. Def. 19. n. 5.* Nec potest deterioris conditionis esse Filia major, quæ usui & parentum intentioni paruit, quam Filiæ minores quæ parere detrectant. Sed & cum hæ quoque, si masculi vixissent, indubie æque ac major, renunciassent, atque hæc spe atque fiduciâ major exemplo præivit, neque hæc spe ac opinionem piâ decipi, neque reliquis, quod illam frustraverint, prodeesse debet. Unde, cum hæc æquitate

na-



ET RESERVAT. FOEMINAR. ILLUSTRIUM. 39

naturali quoque suffulta sint, si Filiæ majori tandem petenti minores resistant, has Replicatio doli propulsabit. *arg. l. i. §. i. D. de dol. mal. except.*

§. 72.

Verum ea ratio nondum omnem scrupulum e-vulsi, sed definiendum quoque est, omnesne renunciassè intelligentur, an non? priore enim casu, fructus ante obitum novissimi masculi quæsiti, ejus Filiæ soli jure hæreditario cedent; altero, fororibus pro ratâ hæreditatis. Existimamus verò tenendum esse, quasi omnes renunciassent, nihilque adeò ex fructibus, qui masculis quæsiti sunt, petere posse: quia neque major Filia petere posset, quæ renunciavit in favorem masculi, cuius proinde hæredumque ipsius respectu renunciatio tenet; neque minores possent, quia istæ non possent esse melioris conditionis quàm major: nec dubium est, i-pfas quoque, si vivo masculo nupsissent, acceptâ do-te renunciaturas fuisse. Atque hæc omnia Responsis Facultatis Viadr. & D. Præsidis, eodem modô decisa fuere.

§. 73.

Minus verò dubia Quæstio est, Filiæ illæ, quæ ex Reservatione hæreditatem repetunt, in stirpes an in capita succedant? Sive enim quaratur de ratione succedendi Ei, cuius hæreditati renunciatum est, si ve iis Filiabus, quæ renunciarunt & prædefunctæ sunt, parata Responsio est ex *Nov. 118*. Si enim defuncti Parentis Filiæ sint vel Sorores vel ulterioris gradus sororæ, succedent in capita; si ex Filiabus descendentes petant, vel cum Sororibus concurrant prædefunctorum Liberi primi gradus, in stirpes. Et si-

mili-



40 DISPUTATIO INAUGURALIS DE RENUNC.

militer, si Filii renunciantes mortuæ sint, videndum, an, qui nanc petunt, ipsarum Nepotes sint, vel ultra; sive ex sorore defunctā primo gradu nati concurrant cum Thiis suis; & illi in stirpes: reliqui, qui in suo gradu soli sunt, in capita venient. d. Nov. 118.  
cap. 3.

§. 74.

Denique evolvenda adhuc est agitatisima & in causâ Illustri proposita Quæstio: An ultimus masculus testamento excludere regressum Filiarum, quæ renunciaverant, possit? In quâ, ne in opinionum pelago natandum sit, defigenda mens est in immotis istis Regulis, demonstratis *supr. §. 30. & 55.* Reservatione non *Jus novum queri*, sed quod fuit servari. Ex quô primum constat, de Feudis, Territoriis, Jurisdictionibus, in quæ Fœminis nullum jus succedendi fuit, adeoque nec ex Reservatione regressus esse potest, frustra quæri, an testamento ab eō excludi possint? cum potestate juris inde remotæ sint, &, licet quædam fortè horum bonorum sint, in quæ singulari Jure post masculos locus datur Fœminis, id quoque jus à speciali Lege habent, non ex Regressu vel Reservatione; quia tempore Renunciationis extantibus masculis nullum Ipsis jus in easfuit.

§. 75.

Pariter quoque de Fidei-Commisis Familiae frustra quæritur: An ab eorum Regressu excludi Fœminæ testamento ultimi masculi possint? cum enim nec in ea ullum tum jus Fœminis superstite adhuc stirpe masculâ fuerit, nullus quoque in illa Regressus esse potest, nec ex Reservatione repeti pot



quod tum non fuit. *supr. 53. 54. 57.* Cum igitur Fidei-commisum Familiæ in personâ ultimi de Familiâ masculi extinctum sit, indubitati juris est, ipsum libere de eo testari & Fœminas excludere posse: *§. 17. & dd. §.* cùm fidei commissi vinculum, quod solum obstabat, solutum, nec ipse amplius eō oneratus, aut ulli Hominum restituere obligatus sit. Hoc casu igitur Fœmina nec ex reservatione hæc bona p̄tere potest, quia nullum Ip̄si in ea jus fuit, quod reservari potuerit, nec ex Lege Intestati, quæ cessat Testamento factō: *I. 39. D. de Acquir. hared.* & licet Intestatus decessisset iste Masculus, non tam sucederent Fœminæ, quæ renunciarunt, sed quæ defuncto proximæ sunt, ex ordine *Nov. 118.* quod jus non obtainere nisi in casum intestati, & testamento tolli, notissimum est. Unde vanissima plane & ineptissima commenta sunt, quæ hoc casu de Fidei commisso tacito, nescio, quō, somniant, & ex eo figmento jus Filiabus afferunt; quod & in causa Per-Illustri motum fuisse, his pensitatis, mirari subiit. *de quo deinceps.*

*§. 76.*

Cum igitur in memoratis casibus Quæstio plane otiosa sit, supereft, eam unicè de bonis hæreditariis, in quibus Fœminæ cum Masculis jure concurrere poterant, proponi posse. Et in his igitur speclandum itidem est, quale jus fuerit, quod Filiæ renunciantes habituæ fuissent; & præterea, quæ fuerint renunciandi & reservandi formula: *Quod sequentibus positionibus expediemus.*

F

*§. 77.*

§. 77.

Quod si igitur tempore Renunciationis Filiab*is* jam delata fuerit hreditas, certi juris esse arbitramur, testamentō ultimi masculi excludi Eas Earumve hredes non posse, quin ad eam hreditatis partem qua*tum* delata fuit, regressus integer sit: quia jus hreditatis semel delatione qu*æ*situm, & renunciatione ad tempus cessum, ex reservatione adject*a* salvum est, nec ulla adeo dispositione id iis adimi potest. Atque de hac specie agit Responsum *Celeb. Facult. Tubing. ap. Besold. Conf. 22.* ut patet *ex fin. qu. 1. ibi:* *S*ie allerseits an gefallene ansehnliche Erbschafft. Quemadmodum & illud Responsum, quod refertur inter Consilia *Celeb. Facult. Marp. Vol. 1. Conf. 20.* ut appareat *ex n. 30. ibi:* so viel deren Sie bis*hero* erlebt. Ac de e*â* vera est ratio, quam tradit Giphan. *Tract. de Renunc. c. 6. in fin.* quod talis hreditas ad masculorum hredes cum suo onere transfeat: neque ha*ctenus* dubitationi locum esse existi mamus.

§. 78.

Quod si verò tum nondum delata iis fuerit hreditas, & Filiæ tale pa*ctum* cum Patre vel Fratre ineant, ut in favorem masculorum, vel dum illi super sunt, renuncient hreditati futuræ, deinde verò masculi omnes ante Patrem aut Fratrem moriantur, constat Filias Patri & Fratri succedere ab Instato, non ex Regressu vel Reservatione, sed quia conditio Renunciationis, annexaque adeo ei Reservationis non extitit. Ei enim inest conditio, si Pater vel Frater reliq*is* masculis deceperint, qui adeo si vel nulli extiterint, vel omnes præmortui fuerint, deficit conditio Renunciationis, adiectaque ei Re fer,

servationis, adeoque perinde est, & perinde succeditur, ac si nulla renunciatio, & consequentur nulla reservatio facta fuisset. Unde Filiae Intestatis succedunt in solidum, et si nihil sibi reservaverint auff einen leedigen Anfall: testamento autem factô saltem ex Bonis Patris Legitimam petere poslunt, nisi in plus institutæ sint. Eadem enim potestas testandi fuerat, nullâ renunciatione factâ.

§. 79.

Relinquitur ergo causus, cum, ita ut dictum, Filiae renunciant hæreditati futuræ in favorem masculorum, atque hi superstites sunt, eoque renunciatio effectum habuit, an & tum testamento novissimi masculi excludi a regressu possint? Atque in hac specie præcipue dubium vertitur & anceps decisio videtur. Ceterum pendet illa maximè a tenore pacti, dispiciendumque est, an ita ejus verba concepta sint, ut inferant restituendi Feminis necessitatem: ita enim Fidei commissi, quod pactis quoque hodie constitui potest, *Knipschild. de Fideic. Fam. cap. 6. n. 1. & seqq.* vim habebit, quo proinde novissimi masculi ligata haec tenus manus, ipseque ad restituendam Feminis hæreditatem obligatus est. Et hic iterum vera est ratio Giphanii *upr. §. 73.* quod hæritas renunciata cum hoc onere ad masculos hæredes transierit.

§. 80.

Unde, si hujusmodi sententia pacti non apparet, nulla ostendi potest causa, ex qua ultimus masculus adstrictus sit ad restituendum bona hæc Feminis, & qua facultas de iis testandi Ipsi interdicta sit, quoties enim quis bona sua post mortem

F 2

aliis



44 DISPUTATIO INAUGURALIS DE RENVNC.

aliis restituere tenetur, incidit illud in speciem Fidei commissi, cuius vinculo testator alligatus est, ne aliter de eo testari possit.

§. 81.

Tale quid autem non appareat ex solâ reservatione in eventum, vel ex clausulâ eius legigen Anfalls; quia ex illâ nihil novi juris acquiritur, sed saltem quod tum fuit, conservatur: Certum autem est, Filias, quibus nondum delata tum fuerat hæreditas Parentum, nullum in eam jus habuisse quâm post mortem eorum jus succedendi ab Intestatô, aut factô testamento Legitimam. Non enim plus ex Reservatione consequi possunt, quâm habituræ essent ex ipsâ successione nec jus aliquod prohibendi testamentum sibi post renunciationem afferere, quod nequidem ante eam habuere. Cum igitur tempore Renunciationis nullum jus necessarium succedendi, & testamenti excludendi potestatem habuerint, certo certius est, nec extintis masculis Eas quicquam ejus sibi arrogare posse; quia in istum eventum nihil novi juris ex mera reservatione nata sunt: nec nunc melioris conditionis esse possunt, quâm fuerant, cum nondum renunciassent: nec jus prohibendi testamenti, quod nullum fuit penes ipsas renunciantes, iis tribui, quæ causam ab ipsis habent, & ex regressu petunt.  
*l. 120. l. 59 D. de R. J. Probandum* igitur ex parte foeminarum est, non tantum quod pâcto reservatum Ipsi fuerit Jus quod Filiae habuerunt, sed & præterea pâcto concessum Ipsi fuisse, quod istæ non habuerunt; jus scilicet excludendi testamentum, adeoque Fidei commissi cuiusdam quod masculorum novissimus vinculus fuerit, ne testari de his bonis posset, sed ea Fœminis restituere jussus esset.

§. 82.



## §. 82.

Quæ omnia tam plana esse existimamus, ut nec dubitandi ratio reliqua videatur. Quam vero Dd. hic inter se disideant ex tot aliis, & quam duæ celeberrimæ Facultates de hac re inter se conflixerint, videre est ex *Cons. Marp. vol. 1. Conf. 20. §. 21.* Indistincte verò Fœminas à regressu impediri testamento ultimi masculi non posse, inter alios ineptissimis planè rationibus afferuit Bened. *Finsterwald. Praet. Obs. ad Conser. Ausf. lib. 2. Obs. 114.* Quem secutus est Ant. Guil. Ertel. *tract. von der Freyen Reichs-Ritterschafft Uhrspring* ec. *Obs. 47.* Quorum argumentis & alios in causa quadam Per-Illustri usos esse, permirum videatur. Plurimum verò sciri refert, quanti sint hujusmodi Brocardica (*quibus corruptam & quasi nugis prope deletam Jurisprudentiam queritur Doctiss. Duarenus, & his dictis vulgaribus seu Brocardicis, sua sordore noluit Cujacius ap. Wissemb. ad l. 202. D. de Reg. Jur. in fin.* Unde Coronidis loco subjiciemus vanishimas rationes, quibus dicti Autores sententiam hanc statuminare & tacitum Fidei commissum induci autumant.

## §. 83.

Non attento ordine hæc verè sunt momenta pro tacito Fidei-commisso. (I.) Testator creditur suos magis succedere velle quam extraneos. (II.) Nemo potest de rebus alienis & restitutioni obnoxiiis disponere. (III.) Filia renuncians excludi non debet, nisi super sit persona, quæ ex præsumptâ patris defuncti voluntate excluderet renunciantem *Gail. 2. Obs. 148. n. 10. in fin.* (IV.) Sextus masculinus cum Renunciantibus quasi contrahere intelligitur, acceptando Renunciationem. (V.) Filiarum renunciatio

F 3

non

46 | DISPUTATIO INAUGURALIS DE RENUNCIA  
non exclusit earum successionem, sed suspendit ex  
verbo *donec*: quô impedimento sublatô, non sunt  
amplius exclusæ. (VI.) Alias enormissimè lœsæ essent.  
(VII.) Fœminæ certant de damno vitando, instituti  
de lucro. (VIII.) Perfaderi non posset Filia ad renun-  
ciandum amplissimis hæreditatibus, nisi sub onere  
restituendi in eventum. (IX.) Alias renunciations  
frustra fierent, & pro formâ.

§. 84.

His quid vanius afferri possit, non apparet: O-  
mnia plurimis vitiis fatiscunt, & multa alia singulis  
opponi possent; sed paucis jam saltem defungemur.  
Igitur quoad (I.) Resp. (1.) Non valet quod testator  
voluit, sed quod se velle declaravit: mente reten-  
tum nihil operatur (2.) Nec sufficit declarasse, nisi rite  
& secundum Leges. (3.) Nec sufficit præsumtio, sed  
Fidei commissio masculos oneratos esse, facti est & pro-  
bari debet.

Quoad (II.) Falsum est, ultimum masculum de  
alienis vel restitutioni obnoxii disponere; nisi esse ob-  
noxia, probetur.

Quoad (III.) nihil ineptius! (1.) Ultimus masculus  
non testatur ex præsumtâ voluntate defuncti patris,  
sed suo Jure. (2.) Nec potest quidem testamentum fieri  
ex alterius voluntate. *l. 32. prime. D. De hered. insit.*  
(3.) Totum Brocardicum ratione testamenti falsum est,  
& nihil inde sequitur. Gaius vero non agit de exclu-  
sione per testamentum, sed per existentiam personæ in  
cujus favorem renunciatum est; & hoc tam insulè  
huc applicatur.

Quoad (IV.) Non quasi contrahitur, sed verisimil-  
iter pactum est, quo Jus suum in eventum vero con-  
fusu filiæ reservant; nec id cum sexu initur, sed v. gr.  
cum

cum Patre vel Fratre ; & tum in illud pactum Jure succedunt eorum hæredes, sine ullo quasi contractu.

Quoad (V) Filiæ existente casu non excluduntur ab ullo jure quod tempore renunciationis habuere : *supr. § 30. 31. 35. & seqq.* Ab eo verò, quod tum non habuere, exclusæ dici non possunt *l. 283. l. 288. D. de Reg. Jur. Unde*

Quoad (VI) Nec læsæ videri possunt, quarum jus aliud non fuit ; & quæ ei, quod habuere, scienter renunciarunt. *l. 145. D. de Reg. Jur. Neq; adeo*

Quoad (VII) de damno certant, quæ omne jus suum recipiunt quod haberunt, & quibus nullum jus suum abest. Quin contrà masculi magis certant de damno, si de jure sibi quæsito disponendi facultas iis auferatur. Sed & quis hominum hinc inferret fidei commissum quo alter alteri Bona sua restituere obligetur.

Quoad (VIII) Si non renuncient Filiæ, cessat tota. Quæstio. Sed nec ullum inde est incommodum Familiaæ , quod tam inepte exaggeratur. Etenim Illustrium opes in Feudis , Territoris & Prædiis Salicis ferè consistunt, quæ ad Fœminas non spectant : *supr. §. 43. 34. seqq.* res vero privatæ & hæreditariæ plerumque tenues sunt, ex quibus Filiæ Illustres pro dignitate elocari non possent. Unde hoc insigno Filiarum beneficium est, quod ex publicis quoque bonis, in quæ nihil aliud juris habent, aliquid dotti loco contribuitur, ut dos non rebus hæreditariis sed splendori Familiaæ respondeat. Id ergo si Filiæ aspernentur, multò deterior plerumque Earum fieret conditio ; cùm Patres studio Familiaæ Eas Legitimā contentas esse juberent. Nec desunt exempla testam̄entorum, quibus Pater statutâ dote iusserit Filias re-

**48 DISPUTATIO INAUGURALIS DE RENUNC.**

nunciare hæreditati, aut, si nollent, Legitimè contentas esse,  
quæ tantum ex rebus hæreditariis detrahitur.

Quoad (IX) Nihil minus : Semper enim Filiæ Legitimam saltem petere possent, si non renuncient; sàpe etiam totam hæreditatis partem si jam tum delata illa esset. *supr. §. 58. seqq.* In his ergo plenisimus effectus est renuntiationis; in ceteris vero, à quibus etiam citra renunciationem, vel lege exclusæ sunt, vel testamento &c. excludi possunt, effectum illa majoris cautelæ habet. *Zaf. L. 2. Cens. 1. n. 72.*

Hæc scilic. sunt momenta compilantium libros;  
quæ non arguant Juris scientiam, sed opus cereum ac ductile, seu, ut vulgò dici solet, Cereum nascum.

**§. 85.**

Quin eò prolabuntur absurditatis, ut Fœminis non tantum restitui velint bona quibus renunciarunt, & quæ tum fuere in facultatibꝫ familiae; sed & illa quæ nō fuere, seu quæ masculi heredes deinde suis operis, suoꝫ; Jure sibi acquisiverunt. Id enim asservare non erubuit cit. *Finsternald d. Obs. 114. vers. diese Meynung.* idque rationibus adeò putidis, ut sine indignatione ac fastidio vix legi aut referri possint.


**§. 86.**

Pejus etiam his omnibus ab omni jure & ratione aberrant illi, qui utriusque sexus jura in Illustrium Familiaiis ac Territoriiis æque ac in rebus privatis & hæreditariis ita confundunt, ut nullum discrimen eò reliquum faciant, quam renunciationem; adeoque quæ natura quoꝫ; in sexu discrevit Jura publica, ipsumque propè sexum commiscent.

**§. 87.**

Sed hæc nunc mittimus, uti & alia, quæ ab aliis jam tractata & exposita sunt, quæ ceu crambem bis coctam apponere noluimus, modico & fano ci-  
bo contenti, pro quo

**SOLI DEO GLORIA.**





00 A 6291




v398

v397


Bl. ✓







DE



20.

*ninis Affulgente Gratia!*

TATIO INAUGURALIS  
DE  
**INCINATIONIBUS  
SERVATIONIBUS  
UM ILLUSTRIUM,**

Quam  
UTORIT. MAGNIF. JCTORUM ORDINIS  
*ACADEMIA MARCHICA,*

P R A E S I D E

**ENRICO COCCEJO,**  
POTENTISSIMI BORUSSIÆ REGIS  
ONSILIARIO INTIMO,  
FAMIGERATISSIMO,  
Æ ORDINAR. & ANTECESS. PRIMARIO,  
nunc Actum Pro-Decano,  
e ac Patrono suo aeternaturo,  
A. MDCC XIV. Mens. Aprili,  
PRO

*roque Jure Honoribus ac Privilegiis*  
Publico examini submisit

**IUS FRIDERICUS  
ARTHOLDI.**

---

*um, Literis JOH. CHRISTOPH. SCHWARTZII.*